



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

in. Iam Bezam, & Gebennenses alia sentientes ac-
cerime inculcat. Certe, inquit, victoria de antichristo iam
portaretur, nisi obstitisset quorundam rigor, qui non modo Episco-
patus virescens expellere volunt, sed etiam episcopalem, & ar-
chiepiscopalem, haec ad reginam, & plura in praefatione.
§. 3. Hinc multo facilius Anabaptistae refutatur, qui
omne Christianum, rei publica magistratum exterminat.
Idem accepta Caluinianis occasione. Nam Caluinus
inter Laicos & Ecclesiasticos discrimen non agnos-
cit, & tamen prohiberi dominationem regum gen-
tium contendit, etiam legitimam, quod ideo de o-
mnibus saecularibus sunt Anabaptistae interpretati.
Omnibus in communi hoc convenit, ut imperando
serviant, bonis enim princeps pro suis subditis labo-
rat, ut solent pro Domino servi. Quod vero Calui-
nas negat permissum pastoribus ut magnifico splen-
dore emineant; Hoc tamen concedit fieri posse, ut
oppidi vel pagi dominus simul docendi munus quo-
que obeat, urgente necessitate. Quod si verum est,
poterit & provincia Dominus, comes, dux, nec re-
pugnet pastoratui legitimus, & civile in subditos
imperium, licet per Evangelium non detur. Poterit
& supra subditos erigere, nec splendorem cogetur
ponere. Tales vero etiam in Anglia Episcopos, &
archiepiscopos tolerant rigidi Caluiniani. Con-
suetudinem Anglicanam contra Bezam Saravia defen-
dit. [Praeterea inquit cap. 24. Legibus huius regni, &
principis beneficio, episcopis hic honor deferretur, ut
inter nobiles & proceres regni censentur. Archie-
piscopi inter duces & magnos regni officarios locus
cum Clementia titulo datur; & Cantuariensis pro-
prie ante omnes proceres & magnos regis officarios
est attributa: & primus patris regni dicitur. Ceteri o-
mnes Episcopi inter Barones locum tenent, & eo
nomine, titulo dominorum honorantur. Qui om-
nes cum ciues sint & subiecti, Princeps in regno suo
honestam civilem aliquod munus si mandet cuiquam
Episcoporum, ut si quem Eirenarcham constituat,
vel a secretiori consilio habere velit, & legationem
ad externum aliquem principem obire, non video
causam cur Principi suo in re quavis honesta non de-
beat parere & obsequi. Sed & hic oritur difficultas,
quomodo unus pluribus sufficere possit muneribus
obediendis. Hanc enim obiectionem D. Beza facit.
Cui respondeo: quomodo ipse putet, vnum in Israe-
le sacerdotem fuisse sacerdotis summi simul & iudi-
cis fuisse omnibus parem? Eadem ratione dico quan-
do cumque recipit, aut necessitas postulat, aut absoluta
regis voluntas viget, dante Deo pluribus ministris
adiutores Episcopos, plures functiones possit, & debere
subire. Si Episcopi & Archiepiscopi adiutores nega-
rentur, & solilla omnia quae ad illa pertinent, quae
eximus officia praestanda in se susciperent; merito
posset obijci. Sed ego neminem unquam extitisse
aditorem, qui per se solus sine vllis adiutoribus, quae
etiam summi sacerdotis concernebant officium
obiret; pluribus a hinc inde partes varias suscipien-
tibus & operum ferentibus, duplicem personam cum
virtute & edificatione populi Dei saepe sacerdotes
& Episcopi sustinuerunt. Hic habes, candide Lector,
Episcoporum & Archiepiscoporum auctoritatem
quam defendo: & ecclesiae vtilem edificationi & gu-
bernationi ex stimulo. Quae quum sine imperio, in ijs
extimis rebus, quae tantum concernunt ecclesiam, esse
non possit; illud tamen a dominatione & tyrannide
quam longissime abesse, quia quid sit quid tyran-
nia & dominatio sic reputare volet, facile tenebit.
Imperium legibus finitum, & ad commune Ecclesiae
edificationem, tam eorum quibus imperatur, quam
eorum omnium ad quos resp. Ecclesia pertinet, consti-
tutum, iure nemo unquam vocaverit tyrannidem. Ty-

rannis est iniqua & crudelis dominatio, & oppressio
innocentiorum: vel contra leges usurpata potestas: quo-
ties neque ex lege neque ex more quicquam imperat. Au-
thoritas veterum episcoporum & nostrorum hic in Anglia, sicut
& superintendentium in Germania, canonica est. Ob-
bedientia, quae ipsis debetur, ultra leges Ecclesiasticas
non extenditur: si quidpiam Episcopus aut Archiep-
iscopus, cuius est regulae ecclesiasticae non faciunt po-
testatem, nemo tenetur parere. Unde sit manifestum,
dominationem nullam nec veteribus nec Anglicanis
posse obijci Episcopis. Dominatio cum subditorum
servitute subiecta, si quibus pro suo arbitrio quidvis
Dominus imperare potest. Demonstrandum erat D.
Beza, quibus in rebus dominatione veteres episcopi
fuerint vti, & hodie Anglicani vtiantur Episcopi. Qui
nihil precipere potest nisi quod ad officium ipsius per-
tinet, cui praepositus est, quod si fecerit, contemni po-
test imperium, iniuria simulatur tyrannidis & viur-
patae in fractis dominationis. Calumniam igitur sunt
qui dquid de tyrannide & dominatione episcoporum,
qui ex praecipito regularum ecclesiasticarum praesu-
erunt & praesunt Ecclesijs, & Ecclesiarum pastoribus
congeritur. Videri potest eodem in tractatu miseri-
ma cavillatio Beza de nomine *ἀρχιεπίσκοπος*, & *ἐπίσκοπος*, quod
Saravia ostendit, non semper opponi *τῷ δακνόντι*.

§. 4. Dominationis b. d. m. non potest: tem tol-
li docet ipsum Christi exemplum. Christus enim non
venit *δρακονὶ θύραις*, ut sibi ministraretur, sed venit, ut alijs
ministraret, imò animam suam daret, hic vitam impen-
dere, redemptionem pro multis. Animam ergo ser-
vituti & morti subiecit: non igitur servum Christi o-
porteret honoribus querendis inuigilare, aut imperium
querere: Christus tamen etiam in illo exinanitionis statu
obsequia angelorum & hominum admisit, quantum
ratio dictabat. Quia ipse omnibus serviret, & Pau-
lus Onesimum retinere cogitabat, ut pro Philemone
sibi in vinculis serviret. Deinde Christus multa suis
imperavit, vltis vera potestate, sed non abusus more
regum infidelium, non *κατ' ἐξουσίαν*, aut *κατὰ κράτος*,
non violenter aut cum potestate opprimens. Aliud i-
gitur his non constituitur, quam ut Ecclesiarum Prae-
lati totos se servitio subditorum & salutis impendant:
nam omnes *δούλοι* hoc est, servi, appellantur. Hinc &
Pontifex servus servorum Dei. Quicumque, n. bene praestit,
servus subditorum est. Etiam si rex sit, illius finis est sa-
lus populi, cuius est instrumentum & procurator rex.
Frustra ergo Beza his verbis utrumque gladium a Papa
aufert fingit. Non enim potestate abrogat suis in Ec-
clesia futuris Christus, sed astringit: At vero ambitione,
fastum, imperandi duritiā, violentiā, longe abesse iu-
bet. Ligandi, n. & solvendi potestate ipse contulit, oves
& agnos pascere voluit. Minister ergo salutis sunt Pö-
ntifex & Episcopi, sicut Christus minister fuit: nō. n. venit
δουλεύων *δεσποτῶν*, ut sibi ministraretur, seu
ut sibi assisteretur, seu appareret ministri, sed *δρακονὶ*,
ut ipse ministraret, & appropinquaret alienae saluti.
Hic in Greco Codice Beza ait inferi ex Luc. v. 8. c. 14.
& sequeres aliquot. Dignitas itaq; Ecclesiastica, hu-
militate serva esse debet, *ἐξουία*, vel ut alia exēplaria *ἐξουία*
δρακονὶ, sic vel erit minister. Aug. l. 9. de civit. c. 14.

QVÆSTIO II.

Quomodo Christus dederit animam suam redem-
ptionem pro multis?

§. 1. Multorum nomine omnes ex phrasi & consue-
tudine intelligo. Omnes enim, de quibus Christus
hic agitur sunt multi. *πολλοί* vocat Greci populum seu pro omni-
valgus. Itaq; inferre nonnulli hanc ad Caluinianū et-
rorē de torquent, ut meritis dominice passionis de-
trahant, negentq; pro omnibus mortuum esse Chri-
stū. Hos Caluinus ipse refutat, cui n. ait scripturam hic,
& Rom. 5. 15. totum genus humanū complecti. Sic &

Kk

Bullin.

JOHES GUNTHER
112
Evangelia
CIVILIS

Bullingerus *ὁντι πᾶσι* poni pro tota multitudine. Qui tamen sibi contradicit, cum ait: pro illis, qui credere voluerunt. Nam passus est Dominus etiam pro illis, qui credere noluerunt, & sanguinem testamenti pollutum duxerunt. Animam enim posuit pro omnium redemptione, 1. Ioan. 2. 2. *Factus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Fructum quidem non omnes sentiunt, sed tamen Christus sufficientissimum pretium dependit, nec per eum stetit, quo minus exire quidem de vinculis vellent. Vti isti Domini liberalitate noluerunt.

Bucerus igitur errat, qui Christum tantum electorum peccata expiisse fingit. Super Ioan. 24. & Calvin. contra Hesh. 1. 39. Musculus in locis communibus, Beza lib. 1. epist. pag. 182. Simonius lib. 2. fol. 24. Aretius 2. parte problematum. Zanchius pluribus locis. Verum ab illa haeresi recesserunt Arminiani, Hemmegius, Augustinus Marloratus. Nam illis repugnat, quod Christus sit Saluator mundi, & vnus pro omnibus mortuus. 2. Cor. 5.

Satisfactio §. 2. Calvinus hinc concludit: hac vna voce uerti, quicquid de putidis suis satisfactionibus garriunt Papistae. Non enim reconciliationis alibi pre-redeptio, tum reperitur, quam in morte Christi.

Respondeo, vitam Christi mortemque esse pretium, redemptionis nostrae, solum, sufficiens, vnicui, Deo etiam nos gratis reconciliati. Nec eo pertinere satisfactiones vllas, vt Deo reconciliemur, vt redimamur. Nec tamen satisfactiones tollimus, sed iam reconciliati, iam redempti, iam sanguine loti pro poena temporali satisfactionis, verbo Dei oblectati. Ita nos docet Cyprianus epist. 18. Dominus loquitur & dicit, Super quem respiciam, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos: hoc cum debeamus omnes esse, tum magis eiusmodi illi esse debent, quibus laborandum est, vt post graue lapsum vera penitentia, & humilitate tota promereri Dominum possint. Et epist. 25. epist. 60. Deum promeremur obsequiis nostris, inquit, vt ostenderet, ad Deum non modo peruenire actionum piarum deuotionem, sed & Deo etiam ad nos redire remunerationem.

VERSVS 29. 30.

Et egredientibus illis ab Iericho secuta est eum turba multa. Et ecce duo caci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerunt dicentes, Domine Miserebere nostri, fili David.

QVÆSTIO I.

An hac historia eadem cum illa, quæ Luc. 18. 35. & Marci 10. 46?

§. 1. Aliqua similia sunt, alia dissimilia. Hic duo caci sunt, & curati, postquam Ierichuntem Christus egressus est. Apud Luc. 18. 35. Vnus est cecus, qui sanatur antecessum Christi in urbem. Mar. 10. 46. vnus nominatur, & sanatus dicitur, cum egressus esset Ierichuntem, vocatur autem Bartimaeus, filius Timæi.

Quidam vnus præcipui mentionem factam abstrahunt. Alij autem ingressum & post egressum cæcos curatos, Alij dilatam illius qui ante ingressum accessit sanationem.

Mihi diuersæ historiae videntur. Nam illo egrediente Iericho duo sanati sunt, vt ex Matthæo clarum est, an vnus horum fuerit Timæi filius, incertum. Apud Lucam vero sanatur antequam ingreditur Dominus Ierichuntem. Existimant alij Bartimaeum fuisse notiorē iam diuturna cæcitate & paupertate, alium se adiunxisse, ante clamasse quam urbem Christus ingrederetur, postea in egressu sanatos. Pro plurali, *καὶ ἐκπορεύοντων αὐτῶν*, quidam codices singularem habent, *ἐκπορεύων*, vt etiam Syrus.

Chrysostomus hos cæcos *πᾶσι* *ὁλησάντων* dicit fuisse *ἀμείβετες*, multis videntibus præstantiores: summa enim contentione ad Christum venire studebant, non modo quia clamabant, sed etiam quia reprehensi, & *ἐν σέσωσιν*, os obturati aliorum increpationibus, magis clamabant. Quemadmodum mulier Chananea & Centurio. Vt vero ante fortes, ita post curationem gratissimi fuerunt: nam Dominum secuti sunt. Augustinus: l. 2. qq. Euang. c. 48. diuersos facit. Possemus de propinquantibus ad Iericho sic intelligere, vt iam inde egressi, prope amem adhuc essent ad eam ciuitatem, & c. Et paulo post. Sed quoniam ea quæ sequuntur in Euangelio secundum Lucam, apertissime ostendunt, illud, quod ipse narrat adhuc venientibus in Iericho factum esse: nihil aliud restat intelligere, nisi hic esse factum hoc miraculum: Semel in vno cæco dum adhuc veniret ad illam ciuitatem, & iterum in duobus, cum inde egrediretur. Vt illud vnum Lucam, alterum Matthæus enarrat. Neq. hoc sine aliquo sacramenti. Quod sacramentum exponit, vt vnus ab egrediente sanatus, Iudæus; duo ab egrediente sanati, Gentis significarent. Luna autem mortalitatem designat, quod est Iericho. Vide de eadem materia Augustinus. serm. 18. de verbis Domini.

Hæc igitur sententia tenenda est, nec mirum, cum duæ sint historiae, vnā ab vno, aliam ab alio Euangelista recensitam.

CAPVT XXI.

Mar. 11. a. 1.
Luc. 19. c.
20.



Et cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad Montem oliueti: tunc Iesus misit duos discipulos. 2. dicens eis: Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi 3. & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. 4. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, Dicentem: 5. Dicite filiae Sion: Ecce rex tuus venit tibi, mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subingulis. 6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit eis Iesus. 7. Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua, & cum desuper sedere fecerunt. 8. Plurima autē turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cadebant ramos de arboribus, & sternebant in via: 9. turba autem, quæ præcedebat: & quæ sequebantur, clamabant, dicentes, Hosanna in filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis. 10. Et cū intrasset Ierosolymam,

Mat. 21. d. 11.
Zach. 9. b.
Ioan. 12. b.
15.
Ps. 117. d.
16.
Mar. 11. b. 9.